Commentatio
De Horatii Epistola Secunda Libri Primi.

Scripsit
Joh. Carl. Guil. Thom. Stange.

Ankündigungsschrift

der

Donnerstag den 7ten und Freitag den 8ten Oktober 1830. Vormittag von 9 und Nachmittag von 2 Uhr

in dem Friedrichs-Gymnasium

anzustellenden

öffentlichen Prüfung,

so wie

der zu haltenden Stiftungsrede

und anderer Schulfeierlichkeiten,

zu denen

die Freunde und Gönner des Schulwesens

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Dr. Ernst Friedrich Poppo.



Frankfurth a. d. O., 1830.
gedruckt bei Trowitzsch und Sohn, Hofbuchdrucker.

Berichtigung eines Irrthums.

S. 15., wo von der Physik in Tertia die Rede ist, muß es heißen: Im 1sten Sem. Erklärung meteorologischer, im 2ten Sem. physisch-geographischer Erscheinungen.

Commentatio
de Horatii epistola secunda libri primi.

Qui in Horatii carminibus explicandis aliquid se praestiturum profitetur, quum editorum interpretumque hujus poetae fere immensa sit copia, hic in suspicionem aut ignorantiae aut arrogantiae facile incurrit; ignorantiae, quod ea, quae jam dudum bene intellecta explicataque sunt, denuo explicare vult, arrogantiae, quod quae a doctissimis viris statuta sunt in dubitationem vocare vel etiam refellere conatur.

Praeterea mirum fere videtur, si quis in scriptore explicando, qui neque magna librorum copia insignis est, neque multis orationis difficultatibus laborat, post tot tantorumque virorum operam novi aliquid invenire se posse arbitratur. Erunt etiam qui inutile et vix ferendum putent de uno auctore tam multa scribere, eaque, quae jam saepius dicta exagitataque sunt, repetere. Haec quidem omnia, quum de Horatio aliquid scripturus essem, bene mecum reputavi, neque tantum mihi arrogo, ut novi aliquid me dicturum esse credam, et longius etiam absum a tali vanitate ut viros multo me doctiores errorum arguam. Sed quum per plures jam annos sors mihi obtigerit, ut Horatium discipulis explicarem, plura et in universa explicationis ratione et in singulis locis verbisque mihi occurrerunt, in quibus ab aliis poetae interpretibus dissentirem. Quam ob rem haud alienam putavi hanc quam nactus sum occasionem, ut ex iis, quae incerta dubiaque mihi videbantur, quaedam exponerem, idque ita instituerem, ut praemissis nonnullis rebus, quae in epistolarum Horatianarum interpretatione observandae mihi videntur, de aliquot libri primi secundae epistolae locis disputarem.

Primum igitur de epistolarum Horatianarum genere deque poetae consilio quid sentiam, breviter dicam, quum quam opinionem de his rebus interpres sequatur, in earum explicatione multum valeat; deinde de more quodam poetae, qui in satiris epistolisque imprimis cernitur, pauca adjiciam,

Saepe jam de epistolarum Horatii genere, de earum satirarumque discrimine et de poetae consilio in scribendis iis publiceque edendis disputatum est; alii aliud statuerunt, sed post varias easque sibi quam maxime repugnantes sententias, eo certe plurimi redierunt, ut agnoscerent epistolas libros poeticos esse, ex ingenio Horatii poetico enatos, diversi quidem argumenti, sed omnes ex poetarum more et ratione explicandos. Quae poetica natura non solum in sententiis exornandis, imaginibus adjiciendis, comparationibus instituendis aliisque rebus quae ad externam carminum formam spectant versatur, sed in ipsa rerum inventione, cogitatorum dispositione totoque instituto cernitur. Sicut Homeri carmina non solum numero externoque ornatu a simplici rerum gestarum enarratione differunt, sic aliud etiam discrimen est inter Horatii epistolas et Ciceronis aliorumque. Horatius quidem ipse ex poetarum numero se excerpit Sat. I., 4, 39 — 62., quod judicium, quamvis ad satiras, easque priores tantum pertineat, fortasse tamen non inepte ad epistolas etiam transtuleris, quae, quod ad poeticam orationis colorem attinet, haud multum ab satiris recedunt. Sed praeterquam quod Horatius, sive serio sive simulate, illo loco ipse non vere judicat; (nam etiamsi non vult, invitus tamen eo ipso loco poeta manet) quod discrimen ille inter poeticam orationem sermonemque merum statuit, ex nostro sensu verum non est, quum non solis illis *quibus ingenium sit, quibus mens divinior atque os magna sonaturum nominis poetae honorem demus.* Hujus rei non semper memores interpretes interdum nimis multa, quae ab auctoris consilio ingenioque sunt aliena, in iis videntur quaesivisse, atque ita in errores esse prolapsi. Nam dum accuratissime ad sensum poetae penetrare, omniaque ex vita moribusque ejus explicare student, etiam quae philosophorum more de vita humana deque ratione ejus instituendae in universum dicta sunt, ea proxime aut ad Horatium ipsum aut ad illos viros, quibus epistolae dedicatae sunt, referunt, non aliter ac si poeta amicos suos de rebus domesticis certiores facere voluerit. Quae ratio quum jam diu mihi displicuerit, non inutile visum est ex ipsarum epistolarum comparatione videre, quae proxime ad poetam ejusque amicos pertineant, quaeque sententias philosophicas poetice expositas contineant. Hic duo epistolarum genera esse omnes facile concessuros puto: alterum earum quae ad utramque personam tantum spectant et res vulgares poetico sermone pronuntiant, alterum earum quae rem philosophicam tractant, et, ut Ciceronis verbis utar, non sunt absque argumento ac sententia. Ad illud genus commode referuntur libri prioris epistola III. ad Florum, IV. ad Tibullum, V. ad Torquatum, VII. ad Maecenatem (in qua tamen interpretanda opinioni a plerisque receptae non omnino assentior, quum etiam haec magis joose quam serio scripta esse videatur), VIII. ad Ceslum, IX. ad Neronem,

XIII. ad Vinium (quae fortasse tota fictio est poetica). Harum epistolarum totum argumentum ad eos viros pertinet, ad quos datae sunt, ita tamen ut et hic, ut par est in poeta, ingenium poeticum semper praeluceat, et loci communes similiaque ornamenta intertexta sint, quae non omnia ad personas solum referenda esse videantur. Ob hunc ornatum hae imprimis epistolae, id quod vir doctus nuper in omnibus epistolis recte observavit, propius ad lyricum genus accedunt, magnaque totius coloris similitudo cum multis ejusdem poetae odis intercedit.

Alterum genus epistolarum, quibus argumentum ac sententiam inesse supra dixi, reliquos complectitur omnes, quae igitur philosophici sunt argumenti. Sed ne hae quidem plane inter se congruunt. Aliae enim totae in sententia, quam sibi tractandam sumit poeta, explicanda probandaque versantur, personarum nulla ratione habita. Cujus generis est liber secundus, cui eam quoque quae vulgo *ars poetica* vocatur adnumero; ex priori libro I. II. VI. X., de quibus singulis hoc loco disputare longum est. Reliquarum, quamquam in simili argumento versantur, occasio aperte petita est ex moribus eorum, ad quos datae sunt, ita tamen ut occasione tantum usus poeta libere ingenio suo indulgeat.

Haec observatio in omnium epistolarum interpretatione non negligenda mihi videtur. Multi enim interpretes imaginem quandam morum ejus viri, ad quem epistola scripta est, sibi fingendam putaverunt, ut inde verum sensum connexumque sententiarum peterent, quum illa carmina ab aliis epistolis, quae ad amicos mitti solent, differre non putarent. Quae res fortasse fraudi illis non fuisset, si viri praeterea noti fuissent, nam in epistolis ad Maecenatem et Augustum haud magnopere de universo sensu laborant. Sed quum plurimi illi viri plane sint ignoti neque praeter scholiastas, qui saepe potius finxisse quam scivisse aliquid videntur, quisquam fere eorum faciat mentionem, interpretes in illam rationem minime laudandam inciderunt, ut ex carmine mores hominis, deinde ex moribus sensum carminis explicarent. Quis non videt, omnia interpretis arbitrio esse permissa, quum quo magis ignota est persona viri, eo major sit libertas fingendi. Cujus arbitrii insigne dedit exemplum Wielandus in explicatione Ep. I. 6., in qua Numicii mores pulcherrime quidem et ingeniosissime depinxit, sed tantopere ab ingenio suo duci se passus est, ut nihil fere in illa imagine desideres praeter veritatem.

Alterum, quod de Horatii epistolis praefandum mihi videbatur, a pluribus viris doctis quidem jam observatum est, sed in explicatione saepe neglectum, idque non ad epistolas solum, sed ad omnia fere carmina pertinet. Horatius enim saepe seriam orationem cum jocosa ita miscet, ut utriusque fines non semper facile sint inveniendi. Quod quidem illi commune est cum aliis hujus generis scriptoribus et fere proprium sati-

rico carmini. Sed accedit ad hanc rationem alia, ex qua poeta quae antea edixit multisque argumentis confirmavit, paulo post jocosa quadam orationis mutatione infringit planeque refellit. Hujus instituti causam rationemque veri similem alii invenerunt; poetam enim metuisse putaverunt ne Maecenas aliique nobiles romani, quorum conviva ipse erat, ob importunam sapientiae, temperantiae aliarumque virtutum commendationem ludibrio se haberent, ideoque ipsum quae antea serio docuisset, joco adjecto retractare occasionemque ludibrii illis eripere. Neque ego ab hac ratione dissentio, sed latius eam patere puto. Totam rem ita esse explicandam censeo. Horatius, ut ipse docet, inde a pueritia ad severos antiquosque mores romanorum omnesque virtutes a patre institutus erat, easque per totam vitam vere amabat. Antiquarum virtutum memoria animum ejus incitabat, ejusque ingenium ita inflammabat, ut altiore spiritu abreptus libentissime in laude virtutis, temperantiae maxime fortitudinis et antiquae paupertatis versaretur. Idem virtutis amor eum commovebat, ut vitia, quibus aequales ejus quam maxime laborabant, reprehenderet, suamque aetatem omni occasione cum priscis romanorum moribus compararet. Dum ipse juvenis erat, animique ardor magis vigebat, acrius severiusque in pravos civium mores invectus esse videtur, unde factum est ut multorum inimicitias sibi contraheret. Sed postquam in Maecenatis aliorumque nobiliorum familiaritatem venit, qui in Horatio magis ingenium poeticum quam virtutis studium amabant, tum vela contraxit, idque ita ut virtutem ipsam non desereret, sed desineret tantum ejus rigidus satelles esse. Quas enim virtutes laudabat, eas illis viris, quibus multa debebat, deesse videbat, quaeque vitia reprehendebat, ea non rara in iisdem viris cernebantur. Inde varias instituebat rationes, ut ipse sibi in vero animi sensu enuntiando constare posset, neque tamen aliquem ex majoribus amicis laederet. Interdum enim non ex sua persona loquitur, sed aliam induit, ut in Sat. II. 2. ubi aperte sub Ofelli persona suam sententiam eloquitur. Interdum hanc personam fictam ludibrii causa tantum introduxisse videtur, dum sub ludibrii specie multa quae ex animi sui sententia vera sunt immiscet. Hoc in satiris secundi libri, quae colloquii formam induunt, factum est. Sic Damasippus ille in Sat. II. 3. stoicorum ridiculus laudator multa dicit verissima pulcherrimaque vanis stolidisque immixta. Huc etiam referendum videtur carmen Epod. 2, in quo pulcherrimae laudi vitae rusticae in fine v. 67. haec verba addit: *haec ubi locutus fenerator Alphius, jamjam futurus rusticus, omnem redegit idibus pecuniam, quaerit calendis ponere.* Ex his verbis (liceat enim mihi pauca de hoc carmine interponere) totius carminis sensum explicant nonnulli interpretes, ut quam parum sibi constent hominum vota atque con-

silia, poetam feneratoris exemplo ostendere voluisse putent; eaque opinione ducti tantopere a simplici pulcritudinis sensu aberrant, ut omissis his versibus habituros nos congeriem imaginum rusticarum poetice tractatarum, sed anima prorsus destitutam nulloque certo consilio factam affirment. Quasi vero poeta librum philosophicum non carmen lyricum scribere voluerit, neque in aliis carminibus similem congeriem imaginum sine tali anima composuerit! An vero illa, quae in principio carminis est, sententia, beatum esse eum, qui vitae rusticae deditus omnibus curis liber sit, minus jam per se completa poeticaque tractatione indigna est? Quod si ita esset, Horatius ipse in aliis carminibus multique alii poetae omnium populorum temporumque essent reprehendendi. In tali interpretatione fraudi fuisse videtur ille importunus, ut ita dicam, amor et temeraria admiratio poetåe nostri, quae omnia ad coelum extollit, non quia pulcra, sed quia ab Horatio scripta sunt; unde etiam factum est, ut iidem interpretes haud raro quod modo ut ineptum poetaque indignum acerrime reprehenderunt, paulo post pulcherrimum omnique laude dignum praedicaverint. Quod si ex vero sincerouque pulcritudinis sensu de hoc carmine judicandum est, neminem fore puto, qui hanc vitae rusticae laudem ex ipsius poetae animo ortam esse non censeat, quique Horatium, si hominum inconstantiam reprehendere voluisset, non per sexaginta sex versus tantoque animi ardore vitae rusticae laudes persecutum fuisse arbitraretur; praesertim quum eandem hominum inconstantiam alibi (e. c. Sat. I. 1. Ep. I. 1.) multo pulcrius aptiusque perstringat. Illum contra si morem poetae, de quo supra dixi, etiam in hoc carmine agnoveris, carmen quidem ipsum pulcrius non fiet, neque enim hunc morem ut vere poeticum laudaverim, sed et intellectus facilior reddetur, et poeta, quum in aliis eandem rationem instituerit, magis sibi constabit. Melius igitur carminis hujus sensum perspicies, si, excepto fortasse versu quarto, per totam imaginum seriem Alphii nullam rationem habeas.

Sed ad institutum revertor. Interdum, ut supra dixi, alia utitur persona ut sine invidia suam sententiam libere edicat, interdum etiam, ubi veritatis virtutisque studio longius abreptum se sentit, ipse aliquid adjicit, quo totam rem in risum vertit seque ipsum quasi refellit. Hac ratione praesertim in fine satirarum epistolarumque utitur, postquam nimis severe serioque virtutem commendavit; interdum tamen etiam in medio verborum contextu similem jocum interponit, unde factum est, ut mira sententiarum repugnantia inesse videatur. In Ep. I., 1. postquam verae sapientiae studium amplexum se esse professus est, idque solum viro dignum commendavit, sub finem scurriles fere hos versus addit: *ad summum, sapiens uno minor est Jove, dives liber honora-*

tus pulcher rex denique regum, praecipue sanus nisi cum pituita molesta est. In eadem epistola versus 12 — 19. eodem consilio adjecti videntur, nam quae postea sequuntur praecepta omnia ab Aristippi philosophia longe absunt. Eadem est ratio Ep. I. 2. de qua postea, similis certe Sat. I. 1. 4.

Quibus de universa interpretationis ratione praemissis, de epistola secunda primi libri pauca disseram, non ut totam epistolam explicem, quod imprimis post ingentem Obbarii, qui nuper eam edidit, doctrinam inutile esset, sed ut ea tantum exponam, in quibus ab hoc viro aliisque interpretibus dissentiam. Sed ne quis arrogantiae insolentiaeque me arguat, quod doctissimos viros reprehendere velim, hoc antea moneo, me neminem reprehendere; sed meam tantum sententiam, ubi ab aliorum discrepat, libere enuntiare. Quae si viris doctis minus placuerit, alium neminem nisi me ipsum, qui verum non viderim, accusabo.

Epistola inscripta est ad Lollium. Hic jam in nomine interpretes haerent, quorum opiniones hic repetere non placet; aliquid tamen de cognomine hujus viri adjiciam, quum denuo de hac re docte acuteque ab Obbario sit disputatum. Lollium omnes fere Horatii interpretes Palicanum (vel Palikanum ut in numis scriptum est) nominaverunt, quod cognomen Lolliorum genti fuisse numi antiqui docent. Hunc Palicanum ille vir doctus ex Horatio ejicit inque ejus locum substituit Paullinum adjutrice maxime Lollia Paullina, cujus Tacitus Suetonius Pliniusque mentionem faciunt. Cui opinioni, quod ad nomen Palicani attinet, haud magnopere repugno, quum qua ratione Palicanum Horatio obtruserint ignorem. Hoc enim jam suspiciosum est, quod M. Lollius nusquam, quantum scio, appellatur Palicanus, et Palicanus qui est apud Ciceronem Valerium Maximum aliosque nunquam Lollius. Sed dubitationem movit Paullina. Nam Tacitus Ann. XII. 1. quatuor commemorat feminas, Messalinam, quae mortua erat, Agrippinam, Paullinam, Petinam, de quibus ducendis imperator Claudius ambigebat. Valeria Messalina filia erat Valerii *Messalae* Barbati Suet. Cl. 26., Aelia Petina (sic in libris editis Taciti Suetoniique scriptum invenio; Aeliis autem jam antiquum cognomen erat *Paetis* apud Livium aliosque) filia Aelii *Paeti*, Julia Agrippina filia erat Germanici qui Agrippinus nunquam vocatus est, sed illa sicut mater etiam, cognomen duxit ab *Agrippa* avo. Praeterea apud eundem Tac. Ann. II. 43. Pisonis, qui in Syria Germanicum interficiendum curavit, uxor vocatur Plancina, apud Dionem eadem est Munatia, Munatiis autem cognomen erat *Plancis*. cf. Ern. ad Tac. l. l. Porro Pompejae Macrinae pater fuisse dicitur praetorius Tac. Ann. VI. 18., Pompejus autem *Macer* praetor an. 15 p. C. erat Ann. I. 72, haud dubie ejus pater. Simili ratione imperator Galba,

quum a noverca Livia Ocellina adoptatus esset, cognomen *Ocellae* (vel ocellare, unde verum cognomen *Ocellus* fuisse recte conjicere videtur Baumgarten Crusius; simile est *cognomen mercuriale* Hor. Sat. II. 3, 25, quod recte ipsum Mercurii nomen esse interpretantur) assumpsit. Suet. Gal. 4. Quae exempla omnia docent, talia cognomina feminarum, ita a paternis esse petita, ut simplex nominis adjectivi forma mutata sit. Ex hac igitur analogia haud facile colliges Paullinae patrem fuisse Paullinum, sed Paullus potius cogitandus esset, si non constaret feminarum cognomina saepe aliunde esse petita. Adversari quidem his exemplis videntur duo alia apud Tacitum, Pompeja Paullina Senecae philosophi uxor Ann. XV. 60., quae filia videtur fuisse Pompeji Paullini consularis Ann. XIII. 53., et Pomponia Graecina Ann. VIII. 32., quae tamen dubitatur utrum soror an filia fuerit Pomponii Graecini; sed et utrumque est incertum, et alterum Graecinae fortasse huc omnino non pertinet, quum cognomen ex populi nomine ortum esse videatur. Hoc certe constat ex simili feminae alicujus cognomine de patre certi nihil statui posse, quum in Taciti Suetonii aliorumque libris, qui aetati Horatianae proximi sunt multaque feminarum nomina continent, ne unum quidem exemplum hujus rei certum sit, plura autem quae repugnent. Nam praeter Saloninam Sabinam Epponinam aliaque nomina, quorum, quum aut a locis petita sint aut barbara, alia ratio est, haec fere inveniuntur: Junia Calvina Tac. Ann. XII. 4. quae est soror L. Silani, in qua familia Calvinorum cognomen ante hanc aetatem non erat; Crispina T. Vinii filia Hist. I. 47.; Livia Medullina Suet. Claud. 26. quae femina, quum ex Furio Camillo se ortam esse gloriaretur, inde cognomen sibi indidisse videtur; Furii enim olim vocabantur Medullini, ab antiquo Sabinorum oppido Medullia.

Sed quoniam in hanc disputationem de talibus romanorum cognominibus delapsus sum, non alienum duxi breviter exponere, quid de iis statuendum mihi esse videatur. Dum romanorum civitas libera erat, nomina et cognomina in nobilioribus certe gentibus satis erant constantia. Illo tempore duo praesertim sunt genera cognominum in *inus* desinentium, alterum ex locis regionibusque petitum ut Sabinus, Collatinus, Calatinus, Caudinus, Medullinus, alterum ex aliis cognominibus factum, quae fere omnia aut vitia virtutesque corporis, aut honores quosdam publicos significant. Quum enim filii neque eadem corporis figura essent insignes, neque iisdem honoribus, factum esse videtur, ut cognomina paterna mutarent. Sic ex vocabulis Crispus Calvus Laevus Mancus Macer Crassus Longus Paullus Balbus Albus Rufus Aquilus Niger Luscus Paetus Cicur Corvus cet. facta sunt nomina adjectiva Crispinus cet., ex nominibus Censor Augur Flamen, Censorinus cet.

Honorum autem cognomina iis maxime data sunt, qui primi de plebe honores sunt assecuti, sic Marcii postea Censorini sunt vocati, quod C. Marcius Rutilus primus fuit censor de plebe Liv. VII. 22., et Minucii eadem de causa Augurini Liv. X. 9. Eandem originem cognominis Flamininorum fuisse arbitror, quum si ex adoptione ortum esset, Quinctii potius Flaminiani vocandi fuissent. Pauca tantum cognomina aliter sunt facta ut Marcellinus Caesoninus. Omnia haec sunt nomina adjectiva significantque gentis illam stirpem, quae ab iis viris, qui primi Crispi cet. vocabantur, orta est. Inde factum ut in nobilioribus iisque magnis gentibus inveniantur. Ex parte quidem similis, ex parte tamen plane diversa est ratio nominum femininorum. Haec enim sicut illa nomina quidem sunt adjectiva, sed plurima ex cognomine patris matris avi aliusve cognati sunt facta, non ex nomine auctoris totius stirpis. Feminis enim, quum gentis nomen non propagarent, veteres Romani plane nulla cognomina dederunt. Imperatoris Augusti tandem aetate mos ille ortus esse videtur, sed eodem tempore antiqua simplicitas in nominibus dandis, tantopere negligi coepta est, ut vel ipsa nomina gentilicia saepe a gente materna sint petita. Sic imperator Claudius filiam alteram ex sua matre Antoniam, alteram Octaviam nominavit. Poppaea Sabina T. Ollio patre genita sed nomen avi materni illustri memoria Poppaei Sabini. Tac. Ann. XIII. 45. Quin etiam ipsi viri cognomina ducebant ex materna gente, ut Statilius Corvinus qui nepos est Messalae Corvini oratoris. Suet. Claud. 13. Quod igitur ad annum 93 p. C. in fastis cons. commemoratur Lollius Paullinus consul suff., id nihil probat, quum variae rationes cogitari possint, quibus hic cognomen ab ipsa Lollia Paullina duxerit. Praeterea inde a Domitiani aetate omnium nominum plane incerta ratio est, cujus rei insigne exemplum est Antoninorum familia, quae tribus vel pluribus etiam nominibus gentiliciis usa est.

Hac tenus de nomine Lollii; restat alia disputatio de ipso homine. Postquam Sanadonus et post eum Wielandus (quorum argumenta, quum nota sint, non repetam) Torrentii sententiam impugnarunt, nemo fere fuit qui hunc Lollium pro filio M. Lollii consularis non haberet. In qua quidem opinione nihil est quod mihi valde displiceat, nam utrum ad patrem an ad filium epistola missa sit, in ejus interpretatione ex mea quidem sententia nihil refert; sed argumenta, quibus illi utuntur, valde incerta dubiaque mihi videntur. Primum enim argumentum historicum ex aliis Horatii versibus Ep. I. 18., 55. petunt, ex quibus Lollium puerum stipendia fecisse in bello Cantabrico apparet, quae res in patrem non convenit. Sed illum Lollium, ad quem scripta est epistola XVIII., Consularis filium fuisse persuadere mihi non possum. Nam

si quae in illa epistola docentur ad Lollium ipsum spectant, id quod omnes censent, eaque epistola anno proximo (734. a. u. c.) post M. Lollii consulatum (733) scripta est, qua ratione Horatius talia praecepta filio consularis, qui in summa gratia apud Augustum erat (quod etiam ex honoribus ei postea delatis apparet), eo imprimis tempore dare potuerit, non video. Per totam epistolam, versibus maxime 21 — 36, 67 — 95, homo tenuis, obscurus, qui totus pendeat ab amico potente, venerando, qui parvo munere beari possit, significatur. Erat quidem antiquus romanorum mos, ut etiam nobilissimi juvenes homines claros sectarentur, eosque salutarent et in forum deducerent, ut Ciceronem Curio aliique, sed hujus plane diversa ratio erat, nam et ad publicam solum vitam pertinebat non ad domesticam consuetudinem, et una cum civitatis libertate paulatim desiisse videtur. Si qui autem venerandum illum amicum Augustum Tiberiumve fuisse putant, hi videant quo modo versus 28 — 31, 72 — 75 interpretentur. Quod si liceret (id quod ego, ut supra dixi, non puto) ex epistola, qualis ille homo fuerit sibi fingere, scribam vel alium hominem ex cohorte praetoris alicujus potius cogitandum censerem, quam nobilem viri consularis filium. Hoc argumentum igitur incertum et pro nihilo habendum est.

Deinde non ad patrem sed ad filium puerum epistolam scriptam esse dicunt, quod praeceptoris partes in ea poeta agat, quod erga patrem inepte factum esset. Ego vero in tota epistola, si vocabulum *puer* v. 68. excipias, ne verbum quidem video, ex quo ad puerum eam scriptam esse colligas; maxima potius inter hanc epistolam et primam est similitudo. In prima causas cur sapientiae studio sese dederit Horatius Maecenati exponit, quas quo magis perspicuas faciat, praeceptoris personam induit, atque aliquem quocum loquatur fingit inde a. v. 33.; quum tamen quis Maecenas fuerit omnes bene sciant, haec verba ad Maecenatem ipsum referre nemini in mentem venit. In nostra epistola ex Homeri carminibus melius pleniusque quam ex philosophorum libris quid rectum sapiensque sit disci posse docet, quod tum exemplis ex Iliade atque Odyssea haustis, tum etiam praeceptis ex repetita Homeri lectione formatis comprobat; idem fere institutum atque in illa, sed maxima interpretum pars haec praecepta ad Lollium solum pertinere contendit. Quo jure id faciant nemo eorum edocuit, quum rem pro certa exploratamque omnes habeant. Mihi contra multa quae parum apte puero praecipiantur inesse videntur, quae jam breviter recognoscamus. Primum v. 27 — 31. post exempla homerica poeta, ut ad praecepta transeat, his verbis utitur: *Nos numerus sumus, et fruges consumere nati, sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique in cute curanda plus aequo operata juventus; cui pulcrum fuit in medios dormire dies*

et ad strepitum citharae cessatum ducere curam. Praeclarum certe exordium praeceptoris, quo scilicet fidem praeceptis suis faciat apud puerum sedecim annorum, (ita enim ferunt). Quae deinde sequuntur v. 33. *ut te ipsum serves non expergisceris?* simillima sunt versibus ep. I. 20 — 26. et nisi fallor plane eundem habent sensum; nam comparatio illa cum latronibus media de nocte surgentibus non ad puerum qui nondum dormit, sed ad virum spectat, qui cupiditatibus ita sese dedidit, ut iis indormiverit. Porro v. 34 — 43. quae ea comparatione indicavit jam pluribus exemplis accuratius explicat, quae initium sapientiae non esse differendum docent. Omnia quae addit argumenta, *curres hydropicus, vigil torquebere*, experientia nituntur, quae in puero nulla est. Tempus futurum in verbis *curres, torquebere* fraudi plurimis fuisse videtur, ut neglecto vocabulo *atqui*, ea quae argumenta sunt, ex rebus vitae usu jam notis petita, pro praeceptis haberent. Amat enim hanc argumentationis formam Horatius, ut quo aptius rationes suas exponat, personam quacum colloquatur animo fingat. Ceterum vocabulum *atqui* apud Horatium semper argumentationi proprium est, sententiamque vel aliter jam notam vel paulo ante dictam addit; ut Od. III. 5, 49. *atqui sciebat quae sibi barbarus tortor pararet*, sic in reliquis locis qui sunt: Od. I. 23, 9. III. 7, 9. Epod. 5, 67. Sat. I. 1, 19. 6, 65. 9, 52. II. 1, 68. 3, 9. 27. 5, 7. Ep. I. 17, 38. 45.; cum futuro conjungitur in sententiis conditionalibus Ep. I. 7, 2. Tum ex v. 44 — 54. *Quaeritur argentum puerisque beata creandis uxor, et incultae pacantur vomere silvae. Quod satis est cui contingit nihil amplius optet. cet.*, tantum abest ut puerum fuisse cui scripti sint censeamus, ut ne posse quidem puero apte scribi videantur. Sensum enim totius argumentationis v. 32 — 63. hunc statuendum esse censeo: sapientiae studium non esse differendum, quae enim illud morentur cupiditates hominem a beata vita prohibere; cupiditates omnes dolorem secum ducere; quod quo melius appareat, exempla addita, voluptatem esse spernendam quia noceat, voto certum finem esse petendum, quia avarus (cujus vota infinita sunt) semper egeat. cet. At. v. 64 — 70. *Fingit equum tenera docilem cervice magister ire viam, qua monstret eques. Venaticus, ex quo tempore cervinam pellem latravit in aula, militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro pectore verba puer, nunc te melioribus offer. Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu*, ad M. Lollium pertinere non possunt. Non nego, sed omnia illa praecepta ad illum non pertinent. Sensus est, quem jam antea dixi, nihil differendum esse, sed primo quoque tempore initium faciendum. Adolescentes viginti saepe annorum pueros dictos fuisse multi multis auctorum locis probaverunt, quod ad hunc locum explicandum necessarium omnino

non erat. Nam etiamsi statueris Lollium vere puerum fuisse, vocabulum tamen annos pueriles non significabit, sed eadem familiaris jocosaque allocutio erit (si omnino ad Lollium pertinet), qua poeta saepius utitur. vid. Sat. II. 1, 60. Od. I. 9, 16. 27, 19. cf. Catull. XII. 9. Noli etiam verba *puro pectore* ad pueritiam referre, haec enim cum sequenti imagine, quae poetae jam ante oculos versabatur, proxime conjuncta sunt. cf. Ep. 1. I. 37. Vocabulum *nunc* non recte intellexisse videntur, qui cum *puer* conjungunt, (nunc, dum puer es) quum *nunc* semper significet *hoc ipso tempore*, *statim*. Sed fac Lollium puerum esse, quid deinde v. 70. 71.: *Quod si cessas aut strenuus anteis, nec tardum opperior nec praecedentibus insto* sibi volunt? Praeclari esset praeceptoris post tam severam adhortationem aliquid addere, quo omnia praecepta tollerentur. Multi quidem hunc locum explicaverunt, idque vario modo sua quisque ratione, sed quid est quod explicari non possit? Si qui etiam recte explicaverunt, iidem difficultatem tamen loco movere non potuerunt, qua ipsi sibi rectam viam intercluserunt. Jocosum hunc exitum esse recte viderunt, sed iidem omnem ex joco leporem tollunt, dum ineptum eum faciunt. Mitte potius illud commentum de Lollio puero et confer cum hac epistola primam, et omnia fient plana. Cogita Horatium epistolam ad amicum (sive puerum sive senem, nihil moror) misisse, ut ex Homeri carminibus veram sapientiam bene edisci posse doceret, idque multis exemplis ostendisse, deinde ex cogitationum conjunctione satis vulgari ipsum, quae ab Homero didicerit, tamquam ex sua persona praecepisse, tum quasi subito senserit se nimio praecipiendi studio abreptum esse, illos versus adjecisse quibus omnia praecepta tolleret; et ingenium Horatianum agnosces, et simul epistolae primae nostram esse simillimam videbis. In illa postquam nimis severe planeque stoicorum ratione de vera virtute disputavit, jamjam futurus stoicus, subito paene petulanti joco ipse philosophiam suam evertit; in hac non tam apertus quidem est jocus, quum in ipsis verbis non insit, sed si illum animi ardorem, quo antea argumentatur, cum subita tranquillitate, qua alteri omnium praeceptorum neglectum permittit, comparaveris, Horatium non serio loqui facile observabis. Desinamus igitur epistolam ex Lollii pueritia explicare, et si quae in ea sunt, quae minus apte ad virum nobilem scripta alicui videantur, profiteamur potius ignorantiam nostram, quam illud committamus, ut temeraria quadam fictione sensum epistolae perturbemus omnemque pulcritudinem ex poemate tollamus. Sed non tam inepta illa sapientiae doctrina est ut vulgo putatur, etiamsi epistolam ad M. Lollium patrem datam esse credas. In rebus enim quae ad sapientiam moresque spectant, nostra aetas ab antiquitate quam maxime discrepat. Quae nobis notissima sunt, ut in schola pueris

commendari soleant, de virtute, de animi perturbationibus aliaque, ea non itidem omnibus nota erant romanis; praesertim quum neque in scholis pueri talibus rebus instituerentur, neque domestica educatio certis praeceptis de moribus officiisque niteretur. Omnia enim quibus animus noster et parentum scholarumque opera, et domesticorum publicorumque institutorum auxilio, et tota societatis humanae conditione inde a primis aetatis annis imbuitur, romani aut ex usu vitae, aut ex philosophorum, graecorum maxime, praeceptis, quibus adulti demum operam dabant, discere solebant. Mirum igitur esse non potest, si homines qui tum putabantur sapientissimi multa tamquam nova enuntiabant, quae nobis quam maxime vulgaria vixque dictu digna videntur. Hujus rei plurima exempla vides quum in omnibus Ciceronis libris, tum maxime in ejus epistolis. Lege quaeso epistolam ad Quintum fratrem I. 1., qui tum propraetor erat in Asia. Quae fratri ibi praecipit Cicero maximam partem ita sunt instituta, ut, si ex nostra cogitandi ratione judicare velis, pueris potius quam ei viro, qui in summis honoribus versabatur, commendanda esse videantur.

Sed nondum absoluta est disputatio de homine cui Horatius epistolam dedicat, restat aliud quo quidem non probant hunc Lollium filium consularis fuisse, sed quod aliter tamen explicari posse non putant, nisi filium eum esse cogitaveris. Appellatur Lollius a poeta maximus (*maxime Lolli*). Quod vocabulum quum recte vidissent cognomen gentis Lolliae non esse, viri docti jam ad unum omnes natu maximum significare censent, ut alter Lollii filius ab altero, cujus in Ep. 18. mentio fit, distinguatur, eamque explicationem tam certam putant, ut omnia, quae jam dudum ab aliis contra dicta sunt, negligant. Equidem ut idem mihi persuaderem omnem operam dedi, quum viros doctissimos et acutissimos in ea opinione consentire viderem, et libenter hodie quoque eandem amplecterer, si ullam qua hoc fieri posset rationem invenirem. Nam, ut de aliis rebus taceam, qui fieri potest, ut in epistola, quae ad unum tantum scripta est, vocabulum adjiciatur quo hic a fratre distinguatur? Scilicet ut Lollius a fratre ipse se discernat? At idem Horatius in epistola ad Pisones v. 366. alterum Pisonem appellat *majorem juvenum*. Hoc exemplum, etiam si aptum esset, nihil probaret; at alienissimum est a nostra re. Epistola enim illa ad tres homines, patrem duosque filios, scripta est, ad quos distinguendos nominibus necessario aliquid adjiciendum erat. Omitto quod ne ibi quidem dictum est *major Piso* sed *major juvenum* (ut Od. IV. 14, 14. *major Neronum*), et quod in nostro loco multo magis simile nomen, *fratrum* vel *juvenum* adjiciendum erat. Omitto porro, quod quum duos tantum Lollios fratres fuisse putent, alter *major* potius quam *maximus* vocan-

dus fuisset. Sed omnibus his rationibus omissis, quam inepte, ne dicam absurde, tale vocabulum in exordio epistolae poeticae positum est! quum in vulgari jam sermone nomen adjectivum, quod honoris causa additum sit, requiratur. Quid? Num in epistola XVIII. poeta Lollium, quem *liberrimum* appellat, a servo distingui vult? At si tu Lollii aetatem hoc vocabulo significari negas, qua igitur ratione melius interpretaris? Quasi vero hoc meum sit! Nam si quid explicare non possum, ignorantiam potius confitebor, quam quod falsum est probabo. Sed estne hoc tam difficile explicatu? Quum enim romani vel in vulgari quotidianoque sermone honoris causa homines amplissimos, splendidissimos, fortissimos, sanctissimos, optimos appellaverint, cur amicum *maximum* appellare non licuerit, non video. Vulgo quidem non fit. Tune igitur omnia in Horatii libris vulgaria esse debere credis? Accedit quod non sine causa Lollius videtur ita appellatus esse, quum Horatius etiam in aliis epistolis amici nomini jam a principio aliquid addat, quod ad ea quae in epistola tractaturus est spectat; ut in Ep. 18., in qua, quum de libertatis studio in consuetudine cum majoribus coercendo dicturus sit, Lollium appellat *liberrimum*. Quid, si Lollius noster magnus esse voluerit? Si illa quae sequuntur verba, *dum tu declamas Romae*, magnitudinem affectatam significent? Certi de hac re nihil statuam, ne in eundem quem supra reprehendi errorem prolabar.

Haec de Lollio. Neque in epistola ipsa desunt de quibus dicendum mihi esse videatur, quae in aliud tempus differo.

Schulnachrichten.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

A. Uebersicht der im verflossenen Schuljahre vorgetragenen Lehrgegenstände.

AA. Sprach- und wissenschaftlicher Unterricht.

a) In Prima.

Ordinarius: der Director, Lehrer für Lat., Griech. (Engl.) und Literärgesch. Uebrige Lehrer: Pror. Dr. Schmeißer für Deutsch, Philos., Mathem. und Phys.; Obl. Stange für Hebr., Relig., Gesch. und zum Theil auch Lat.; Obl. Heidler für Rhetor.; Pred. Roquette für Franz.

aa) **Lateinisch** 9 St. (mit Einschluß der Uebersetz. in das Griech.) 1) Horaz, 1stes Sem. B. 1. 2. mit einigen Auslassungen, 2tes Sem. Satiren B. 1. und zum Theil 2. Obl. Stange 2 St. 2) 1stes Sem. Cic. de Orat. B. 2. größtentheils (häusl. B. 1. 3.), 2tes Sem. Tac. Histor. B. 1. (häusl. 2. 3.) Dir. 2 St. 3) 1stes Sem. Plin. Epist. etwa 15 — 18 Griechisch übersetzt (B. 10. und Panegyr. häuslich gelesen), 2tes Sem. Cic. Brut. einige 30 Kap. Griechisch übersetzt, Dir. 1 St. 4) 1stes Sem. Disputirübungen, 2tes Sem. Plaut. Captiv. 3 Akte, Dir. 1 St. 5) Stilübungen, Dir. 2 St. 6) Sprechübungen über römische Alterthümer mit Secunda 1 St. — bb) **Griechisch** 6 St. (und im 1sten Sem. 1 Extraſt.) Dir. 1) 1stes Sem. Eur. Med. (häuslich Hec. u. Androm.) 2 St. und (von den Schülern erklärt) 11 Idyllen Theokrits 1 St., 2tes Sem. Hom. Il. B. 2. 3. (größtentheils) und (von den Schülern erklärt) Eur. Phoen. (größtentheils), zusammen 3 St. 2) 1stes Sem. Plato Alcib. I. (häuslich Crit. und Alcib. II.), 2tes Sem. Thuc. (mit Hülfe der häusl. Lektüre) B. 6. 7. 2 St. 3) Syntax, Partikeln, 1 St. — cc) **Hebräisch**. Psalm 1 — 24, daneben die unregelm. Verba, Syntax und Exercit. Obl. Stange 2 St. — dd) **Deutsch**. 2 St. 1) Stilübungen (Correctur von Reden) Pror. Schmeißer 1 St. 2) Redeübungen und Poetik, Obl. Heidler 1 St. — ee) **Französisch**. Stilübungen und Lektüre in dem poet. Theile von Nolte's Chrestom. von Segrais S. 293. — Gresset S. 442., Pred. Roquette 2 St. ff) **Englisch** wurde unentgeltlich Schülern, die es lernen wollten, in 1 St. von dem Dir. vorgetragen, und im 1sten Sem. 3 didakt. Aufsätze und 4 Reden aus Nolte's Chrestom., im 2ten Sem. 3 Akte von Shakspeare's Hamlet gelesen, und Anfangs aus Motherby, später gegen 1½ Bücher des Télémaque in das Engl. schriftlich übersetzt. — gg) **Religion** (mit Secunda comb.) 1stes Sem. Glaubenslehre, 2tes Sem. Sittenlehre, Obl. Stange 2 St. — hh) **Philosophie**, nach Fries, Grundr. der Logik S. 65. bis zu Ende, Pror. Schmeißer 1 St. — ii) **Mathematik**, 1stes Sem. 2 St. Kegelschnitte und die Anwendung der Theorien der Parabel auf die Wurfbewegung, 2 St. Anfangs sphärische Trigonometrie, da aber die Schüler darin nicht fortkamen, trigonometrische Aufgaben, die schwereren Fälle, mit Repetition der Grundlehren der Trigonometrie. 2tes Sem. Stereometrie, Pror. Schmeißer 4 St. — kk) **Physik**, (mit Sec. comb.) nach Fries, S. 165 — 280, Pror. Schmeißer 2 St. — ll) **Geschichte**, 1) Politische, des Mittelalters, Obl. Stange 2 St. 2) Literärgeschichte (mit Secunda comb.), besonders der schönen Wissenschaften im Mittelalter und bis auf Ludwig XIV. Dir. 1 St. (Die Antiquitäten s. bei Lat.)

b) In Secunda.

Ordinarius: Obl. Stange, Lehrer für Latein., Hebr., Deutsch, Relig., Gesch. Uebrige Lehrer: der Dir. für Griech., Pror. Schmeißer für Mathem. und Phys., Obl. Heidler für Lat., Griech. und Franz.

aa) **Lateinisch** 8 St. 1) Virg. 1stes Sem. Aen. B. 10. (häusl. 11. 12.), 2tes Sem. Georg. B. 1. 4. (häusl. 2. 3. und 4. Eklog.) Obl. Heidler 2 St. 2) Cic. 1stes Sem. Orat. pro Rosc. Amer., 2tes Sem. Brief 1 — 16. der Matth. Ausg. Obl. Stange 2 St. 3) Liv. B. 1. (und häusl. B. 39 — 42. 21 — 24.) Obl. Stange 1 St. 4) Correcturen und Extempor. Obl. Stange 2 St. 5) Sprechübungen über röm. Antiquitäten mit Prima, Obl. Heidler 1 St. — bb) **Griechisch** 6 St. 1) Hom. 1stes Sem. Od. B. 13. 14. (häusl. 15 — 17. und 24.) 2tes Sem. Il. B. 1. (häusl. 4. 5.) Obl. Heidler 2 St. 2) 1stes Sem. Xenoph. Cyr. B. 6. (häusl. 7. 8.), 2tes Sem. Demosth. Philipp. I. und (zum Theil) Olynth. I. (häuslich histor. Chrestom. II. S. 1 — 128.) Dir. 2 St. 3) 1stes Sem. Plut. Philopoem., 2tes Sem. Herodot. VI. 1 — 57. Obl. Heidler 1 St. 4) Syntax und Exercit. Obl. Heidler 1 St. — cc) **Hebräisch**. Lesen und Grammatik bis zum Verbum, Obl. Stange 2 St. dd) **Deutsch**, Obl. Stange 2 St., wovon 1 St. Stilübungen (histor. und didakt. Aufsätze), 1 St. Klopstock Messias B. 1 — 5. und Redeübungen. — ee) **Französisch**, Obl. Heidler 3 St. 1) 1 St. Handbuch von Nolte, pros. Theil, 1stes Sem. Montagne — Patru, 2tes Sem. Evremont bis Fenelon. (häusl. Charles XII. B. 5 — 8.) 2) 1 St. Syntax nach Schaffer. 3) 1 St. Stilübungen. — ff) **Religion**, s. bei Prima. — gg) **Mathematik** Pror. Schmeißer 4 St. 1stes Sem. Arithmetik, Potenz- und Wurzelrechnung, Auflösungen der Gleichungen des 1sten und 2ten Grades, Lehre von den arithmetischen und geometrischen Reihen, elementarische Theorie der Logarithmen. 2tes Sem. Elemente der ebenen Trigonometrie. — hh) **Physik**, s. bei Prima. — ii) **Geschichte** 1) Politische, alte, 1stes Sem. Römische, 2tes Sem. der asiat. und afrikan. Völker, Obl. Stange 2 St. 2) Literärgeschichte, s. bei Prima. (Die Antiquitäten s. bei Lat.)

c. In Tertia.

Ordinarius: Obl. Heidler, Lehrer für Lat., Franz. und Relig. Uebrige Lehrer: der Dir. für Griech., Pror. Schmeißer für Mathem. und Phys., Obl. Stange für Gesch., Dr. Reinhardt für Griech. und Deutsch, Conr. Fittbogen für Lat. und Geogr., Prediger Roquette für Franz.

